



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

Quæstio XXI. In Titulum XXI. De secundis Nuptiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

## QUÆSTIO XXI.

### In Titulum XXI, De secundis Nuptiis,

**P**ostquam actum est in prioribus de divorcio, tam quoad thorum, quam conjugale vinculum, & his, quæ consequuntur; convenienter ad finem hujus libri subjungitur titulus finalis de secundis nuptiis, quas stante impedimento ligaminis constat celebrari non posse vel licite, vel valide. De iis igitur in præfens solum agimus in casu legitime soluti conjugalis vinculi, eo vel antecederet jam sublato, vel saltem novi matrimonii contractu dissolvendo, ut contingit in casu, quo infidelis ad fidem conversus, altero in perfidia remanente, is transit ad secunda vota, de quo dictum est jam in præmissis qq.

#### ARTICULUS I.

*An soluto matrimonio priori, licite sint secunda nuptie?*

**1806.** Resp. jure civili olim, intra annum luctus, secundas nuptias fuisse prohibitas, & illicitas; colligitur ex tot poenis illo jure statutis (L. 1. C. de secundis nupt.) in mulierem intra annum luctus secundo nubentem, seu aliud à priori matrimonium ineuntem. Not. autem, quasdam poenas directe impositas in odium secundæ matrimonii, intra annum luctus; quasdam vero in favorem liberorum prioris matrimonii, ut patet ex seq. sed jure canonico hæc prohibitio sublata est, & hodie non solum bigamus, & trigamus, sed etiam octogamus quis effici potest per c. Aperiã. 31. q. 1. ex D. Hieronymo: ibi: *aperiant, queso, aures obrectatores mei, & videant, meo secundas, & tertias nuptias concessisse in domino; qui secundas & tertias, non damnavit; primum potuit damnare matrimonium? Idem ibidem: Non damno digamos; immò nec trigamos, & si dici potest,*

*octogamos. Et: Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam: & ita licere quinto, & sexto, & ultra quomodo, & secundo marito nubere. Nam mulier intra annum luctus nubens, utitur concessa sibi ab Apostolo potestate; ibi: mulier suo viro mortuo, soluta est à lege viri sui, in domino nubat, cui voluerit. Nec in his seculares leges dedignantur Sacrosanctos Canonones imitari c. fin. h. t. ibi: cum secundum Apostolum, mulier mortuo viro suo, ab ejus lege sit soluta, & nubendi, cui vult, tantum in domino, liberam habeat facultatem: non debet legalis infamie sustinere jacturam: qua licet post viri obitum, intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa sibi tamen, ab Apostolo, utitur potestate, cum in his præsertim seculares leges, non dedignantur sacrosanctos Canonones imitari.*

#### ARTICULUS II.

*De poenis civilibus in odium secundarum nuptiarum.*

Prima poena viduæ nubentis intra **1808.** annum luctus erat infamia, quam ipso facto tum ipsa, tum vir eam accipiens incurrit. L. 1. C. de secund. nupt. junct. auth. de nuptiis. §. prima siquidem. collat. 4. secunda, ne posteriori viro possit in ultima voluntate relinquere ultra tertiam partem suorum bonorum. L. 1. C. de secundis nupt. Tertia incapacitas cujusunque hereditatis, & legati à quocunque, præter maritum, relicta citatà L. 1. Quarta, ut omnia sibi à priori marito in ultima voluntate relicta amitteret, ut dicitur cit. L. 1. Quinta, ne consanguineis ultra tertium gradum ab intestato succedere possit; habetur cit. L. 1. sexta, ut filiis prioris matrimonii medietatem suorum bonorum

Lil 2 conce-

concedere teneretur; *L. si qua mulier 4. C. ad Senatusconsultum Tertulian.*

1809. Not. autem I. has poenas statutas esse, tum, ut filii post mortem prioris conjugii nati, ad ipsam sciantur pertinere; tum ne mulier det occasionem suspicandi, ipsam morti sui viri cooperatam esse. Deinde has poenas non incurri à muliere secundo nubente, si vel primum, vel secundum matrimonium fuit nullum. Cùm enim hæc leges sint poenales, & plurimum matrimonii libertati obsint, strictè accipiendæ sunt. Ubi autem primum matrimonium fuit nullum; vel nullum est secundum, non verificatur, *proprie* loquendo, transitus ad secundas nuptias intra annum luctus.

1810. Not. 3. has poenas non extendi ad virum transeuntem ad secundas nuptias intra annum luctus; quia sic non est incertitudo prolis, sicut in muliere intra unum annum successivè habente duos viros. *§. prime siquidem. Auth. de nuptiis. Collat. 4. ita Sanchez l. 7. hic D. 87. n. 20. quia lex. 1. C. de 2. nupt. & L. si qua mulier C. ad S. C. Tertul. expressè loquuntur de uxore, nec ab hoc, tanquam à correlativo ad maritum censi debet idem de hoc dispositum. Nam hoc procedit, quando in utroq; est eadem ratio, & quidem necessaria. Fœminæ autem, vi legum, tenebantur à secundis nuptiis abstinere intra annum luctus, quia illarum est viros lugere; viri autem non compelluntur lugere uxores. *L. Uxores. ff. de his. qui notantur. infam.**

1811. Quæstio est, an prædictæ poenæ, quatenus in odium secundarum nuptiarum, vel earum accelerationem, jure civili statutæ in mulieres intra annum luctus nubentes, Jure Canonico sublatae sint? aliqui negant. I. quia non prohibent matrimonium absolutè; sed solum ejus accelerationem; alii censent. cùm in *c. in h. t.* fiat solum mentio de poena *infamiae*, hanc solum sublatae; alii denique volunt, sublatae esse, quoad forum Ecclesiasticum; non, seculare: sed dicendum, omnes prædictas poenas (consequenter civiles leges, in quantum earum illativæ sunt, & tendunt in odium secundi matrimonii) Jure Canonico simpliciter sublatae esse;

tum ut libertati matrimonii faveret (concessa ab Apostolo ibi: *mulier, viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui, in domino nubat, quando voluerit*) tum ut in viduis peccandi periculum evitaret; ita Sanchez *l. 7. matr. D. 87. n. 23.* cum innumeris aliis. Imo etiam in foro seculari sublatae esse illas poenas, expressè cum aliis tenet Castropalaus *de sponsal. D. 4. p. 13. §. 2. n. 11.* tanquam certissimum. Lex enim, quæ restringit libertatem matrimonii, concessam ab Apostolo, fovet peccatum; jus autem Canonicum justissimè corrigi, vel rejicit ejusmodi leges; cùm ad ipsum spectet curare salutem animarum, & his noxia submovere.

### ARTICULUS III.

#### De poenis civilibus in favorem Filiorum prioris matrimonii.

Supponendum, jure civili statutas esse alias poenas in favorem filiorum prioris matrimonii, quas docet Castropalaus *cit. §. 3. n. 31.* non esse correctas à Jure Canonico, quia non sunt poenæ ob secundas nuptias impositæ; sed potius quædam dispositiones legales, suppositis secundis nuptiis, juri naturali maximè conformes in favorem liberorum ex priori matrimonio facti etiam Sanchez *l. 7. D. 88. n. 39.* de quibus dicendum in sequentibus.

#### §. I.

#### De amissione proprietatis bonorum à priori marito acquisitorum.

Prima ex illis est, ut conjux transeuntes ad secundas nuptias, amittat proprietatem omnium bonorum, quæ à conjuge defuncto habuit; & referentur liberis prioris matrimonii, retento solum usufructu. *L. fœmina. C. de 2. nupt.* sed hoc intellige de acceptis à priori conjuge, titulo lucrativo, ut dicemus *num. 1877. 2.* sive intra, sive post annum luctus transeat ad secunda vota. 3. sive mater, sive Pater transeat ad secunda vota. 4. de acceptis ab altero sive immediatè sive mediatè, ut tradit Sanchez *cit. D. 89. num. 11.* Nec amplius conjugi liberum esse, ea bona inter liberos dividere, ac in eis præferre,

ferre, quem vellet, ut concessum erat  
L. *femina. C. de 2. nupt. sed æqualiter divi-*  
*denda, jure novo, authenticæ Lucrum.*  
C. de 2. nupt. de qua n. 1817.

§. 2.

*Quæ bona prioris mariti veniant in-*  
*ter lucra, per secundas nuptias ab*  
*Uxore amittenda?*

Ante resolutionem not. Lib. 3. C. ad 1816.  
S. C. *Tertul.* statui: quòd Mater, quæ de-  
functo filio, vel filia sine liberis, ex testa-  
mento, vel ab intestato succedit, matrimo-  
nium secundum post mortem filii,  
filiaevè non contraxerit, omnia bona filii,  
& filia morte delata, vel derelicta, ple-  
no jure acquirat: sin verò alterius mariti  
conjugium elegerit, extrinsecus quidem  
quæ sita filio, filiaevè, simili firmitate  
possideat; rerum verò paternarum de-  
functi, solo usufructu (humanitatis con-  
templatione) porietur, proprietatem,  
& sororibus, & fratribus transmiffura  
defuncti.

Not. 2. L. 3. h. t. sic statutum fuit 1817.  
se, ut femina, quæ susceptis ex priori  
conjugio liberis ad secundas nuptias,  
post secundum annum luctus, transeunt,  
quidquid ex facultatibus, & bonis prio-  
rum maritorum, vel jure Sponsalium, vel  
etiam nuptiarum solemnitate, aut etiam  
donatione causâ mortis, testamento, le-  
gato, vel alia munifica liberalitate percepe-  
rint, & consecuta fuerint, id totum, ita  
ut, perceperint, integrum ad filios, quos  
ex precedente conjugio habuerint, trans-  
mittant, quamvis deinde addatur, per-  
mitti illis, ut ea uni soli filio reservent,  
cæteris tamen legitimam habentibus. Sed  
hoc postremum correctum est per jus re-  
centius in Novell. 2. c. 1. & auth. *Lucrum.*  
h. t. ibi: *Lucrum hoc æqualiter inter libe-*  
*ros lege distribuitur, nec arbitrio parentis*  
*permittitur.*

Ex hoc colliges, inter bona, de 1818.  
quibus L. 3. cit. dicitur: *Uxore transeunte*  
*ad secunda vota, quoad proprietatem reser-*  
*vati liberis prioris matrimonii, ea solum*  
intelligi, quæ Uxor ab illo habet titulo  
lucrativo. 1. quia omnes tituli in L. 3. spe-  
cificati, sunt meri tituli gratuiti. 2. quia  
ea ipsa omnia, de quibus loquitur L. 3.  
lucra vocat cit. authentica, *Lucrum*, cor-  
rigens legem tertiam in eo, quod permi-  
serit Uxori, ea uni filio reservare, datâ  
omni largitate à viro ad eam veniente.

LII 3

Col-

1814. Not. autem, nullis extantibus libe-  
ris prioris matrimonii, cessare omnes pœ-  
nas, seu potius dispositiones legales in fa-  
vorem liberorum inductas secundò nu-  
bentibus; ut constat jure novissimo No-  
vell. 22. c. 23. ibi: *Si non habeat filios, sine*  
*periculo est totum hoc*, intellige, quod est  
ex legibus, quas abrogatas diximus; quod  
verum est, licet liberis habuerit, sed de-  
functos ante secundum matrimonium, ex  
ead. Novell. c. 26. ubi expressè de hoc casu  
sermo est. Et hoc procedit, esto solum  
civiliter (possessione scilicet religiosâ,  
secundum dicta superius) defuncti essent  
ante secundas nuptias Matris. Et tamen si  
verum sit, transitu ad secunda vota amit-  
ti proprietatem bonorum, à marito prio-  
ris matrimonii adeptorum, intelligea-  
dum tamen est sic, ut non transeat sta-  
tim, & absolutè ad liberos prioris matri-  
monii; sed tantum sub hac conditione,  
si binubæ supervixerint; consequenter  
solum revocabiliter, ac interim.

1815. Ex dictis colliges 1. Uxorem trans-  
euntem ad secundas nuptias non amitte-  
re bona, titulo oneroso accepta à priori  
marito, ut diximus n. Nam leges, quæ  
super amittenda proprietate in hoc casu  
disponunt, loquuntur solum de bonis  
à marito acquisitis ex munifica liberalitate,  
ut dicitur pluribus num. 1813. & seq.  
Colliges 2. Uxorem, si transeat ad se-  
cunda vota, non amittere proprietatem  
lucrorum à priori marito acquisitorum,  
si maritus, aut liberi expressè renuntiant  
juri suo. Quilibet enim favori sibi con-  
cesso renuntiare potest. Quotam verò  
expressus filiorum consensus in secundas  
nuptias Matris, stare potest, quin etiam  
sic virtualis renuntiatio juris competen-  
tis ex Matris transitu ad secundas nuptias;  
ex illo non rectè colligitur hæc cessio;  
ita Haunold. tom. 1. de Jusf.

tr. 9. n. 489.



Colliges 2. hanc proprietatis amissionem intelligi solum de illis, quæ Uxor acquisivit ex bonis prioris mariti, & quidem solum gratuito, ac merè liberali titulo. 1. pars est ex *L. 3. cit. num. 1817. ibi: ex facultatibus, & bonis priorum maritorum.* 2. pars ex priori numero. Et ideo etiam proprietatem retinet eorum bonorum, quæ à priore marito habet *oneroso titulo.* Sic Haunoldus *cit. n. 474.*

1819. Hinc sequitur. 1. quòd mulier transiens ad secundas nuptias non amittat proprietatem Morgengebæ, seu doni matutinalis; nam hoc non habet à viro priori *merè gratuito*, sed *oneroso*; secus est de Sponsalicia largitate propter rationem contrariam à n. 1707.

Sequitur 2. donata Uxori, contemplatione mariti non venire inter bona, quæ illa habeat à marito ex titulo lucrativo, quorum per secundas nuptias proprietatem amittit, quia illa non sunt ex *facultatibus, & bonis mariti*; at solum de his jura loquuntur, ut constat à n. 1817. ergo. Nec valet paritas ducta à bonis profectitiis, quæ donantur filio intuitu Patris, vel arrogato intuitu arrogantis. Nam hi sub eorum potestate patria sunt; secus Uxor respectu mariti, licet ei subiecta sit, quoad functiones conjugales. Et ideo nec donata socio intuitu societatis acquiruntur huic, sed sunt illi propria, cui donata sunt, ut dicitur. *L. 60. ff. pro Socio.*

Sequitur 3. donationes vicissitudinarias, seu reciprocas, non esse inter lucra, quorum proprietatem mulier per transitum ad secundas nuptias amittit; deducitur ex *num. 1817.* quia tales donationes sunt ex titulo *oneroso.* Aliud est de illis lucris, quæ aut vigore statuti, aut reciproci pacti in casum alterius præmorientis superstes acquirunt. Nam ratio conventionis non tollit rationem *lucris*, ut patet in casu ludentis cum periculo perdendi; vel lucrandi.



§. 3.

*Quantum mulier binuba possit afferre secundo viro?*

Circa hoc constitutum est, ne vir, vel femina ad secunda vota transiens, possit novo conjugii dare in dotem, vel alio titulo plus, quam dederit sive in vita, sive in morte uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus dedit. *L. Hac est Ali. 6. C. de 2. nupt.* Si autem secundo viro plus dederit, quoad excessum irritum erit, ut ibid. dicitur. Et hoc confirmatur in Novell. 22. c. 41. ibi: *nisi secundas Pater contraxerit nuptias; sit enim & hæc secundo nubentibus pœna.* Et quamvis hic sermo sit de satisfactione servandorum legatorum causâ; à fortiori tamen procedit *in lucris?* Nam in his Pater, & Mater, quoad cautionem, æquiparantur per *cit. L. 6. §. 1. C. b. t. Plura* vide apud Sanchez *hic l. 7. D. 88. n. 3.*

Apud eundem, & cum primis Caltrapaum *de spons. D. 4. p. 13. §. 3.* invenies quæstionem resolutam. 1. an Mater transiens ad secunda vota, amittat executionem testamenti? ad quam ibid. n. 10. respondit negativè. 2. an potestas testandi à marito Uxori concessa expiret ob transitum ad secundas nuptias? & *num. 11.* resolvit negativè. 3. an ipso jure privetur educatione filiorum; quod pariter n. 14. negativè resolvit, quin hoc ad Patrem, ad secundas nuptias transeuntem extendatur. 4. an mulier propter transitum ad secundas nuptias amittat tacitam hypothecam, quam vidua habet in bonis mariti cum jure prælationis? ubi & hoc negat n. 27. cum Sanchez *cit. D. 88. n. 34.*

§. 4.

*An mulier per secundas nuptias amittat tutelam?*

Resp. quòd sic; nam tertia pœna nubentis secundò, seu potius provisio legalis in favorem liberorum prioris conjugii est, ut vir secundò nubens amittat filiorum tutelam. *L. fin. & authent. Sacramento. C. quando mulier tutele officio, & authent. ut sine prohibitione Mariti. S. unic. collat. 7.* Idem est, si curatrix filiorum sit; quia dispositum in tutela, censetur in curatoria dispositum. *arg. quod si nolit, S. quod in pro.*

in procuratore. ff. de adilitio edicto: hoc tamen non procedit propter sola Sponsalia de futuro; quia hæc non sunt nuptiæ; nec sufficit ad tutelam amittendam, matrimonium esse ratum tantum; quia cum hæc dispositio sit odiosa, restringi debet ad matrimonium in esse perfecto, quod non est, nisi sit consummatum; ita Castropalaus cit. p. 3. §. 13. n. 4.

1822. Not. autem in hoc casu tutelam amitti ipso facto, ita Sanchez cit. D. 88. num. 10. plurimos pro eadem sententia referens. Nam tutor sub conditione datus, cessat, si conditioni non pareat. L. Tutor datus. ff. de testament. tutela. Matri autem tutela censetur data sub conditione, si non transeat ad secundas nuptias, ut pater ex iuramento, quod in susceptione tutelæ præstat; & supponi videtur in c. Ex parte M. de appellat. ibi: *predicti filii ejus, sub potestate, & tutela ipsius minime manerent.* Unde quando in authent. Sacramenta. C. quando mulier tutelæ officio, dicitur, *convenire*, seu conveniens esse, *contractis secundis nuptiis, eam expelli à tutela*; ex quo aliqui volunt, eam esse expellendam ex honestate, non necessitate: textus loquitur de expulsiōe facti, non juris, eo modo, quo matrimonium ipso facto nullum solvitur, non rescissione vinculi, cum nullum sit; sed declaratione nullitatis, & separatione etiam quoad factum, non quoad jus, cum tunc ei nullum sit.


1823. Si quæras, an mulier per secundas nuptias amittat tutelam, esto viri testamento scripta sit tutrix? Resp. quod sic. Et hoc juxta communem procedit in casu, quo maritus Uxorem constituit absolutè, & simpliciter tutricem in testamento: si autem cum clausula, *esto ad secunda vota transeat*, saltem Judicis officio expelli posse. Primam partem cum aliis ibidem relatis tenet Sanchez cit. D. 88. num. 8. arg. Authentica de Nupt. Collat. 4. §. *si autem tutelam.* vers. *Nos autem*, ubi textus secundò nubentem, quoad tutelam coarctat illi, qui nubit infra annum luctus; sed hic incapax est cujuscunq; tutelæ.

Accedit, quod leges matrem excludentes à tutela, *indefinitè* loquantur de tutela, & fundentur in suspiciōe malæ administrationis, & dissipatiōis

bonorum propter affectum in novum virum; ergo intelligendæ sunt de tutela tam legitima quàm testamentaria. Nec obstat, quod à viro designata sit in testamento. Nam ejusmodi designatio non operatur tutelæ retentionem in casu secundarum nuptiarum, saltem ubi hoc expressum non est, sed tantum, ne Uxor suscipiens tutelam satisfacere obligetur, ut constat ex *Instit. tit. de satisfac. Tut. in princip.*

Secundam verò partem (quod etiam apposita expressè clausulâ, ut tutelam habeat, licet ad secunda vota transeat, adhuc per Judicem expelli possit, & debeat) negat Baldus in c. Ex parte M. de appellat. n. 2. Sanchez cit. n. 9. quia Maritus per hanc designationem *qualificatam*, omnem suspiciōem removet; cum eam per hoc submoveat ab extraneo; ergo à fortiori ab Uxore, quam meritò creditur meliùs nosse.

Contrarium tamen videtur probabilius. 1. quia dispositio juris, Uxori, ad secunda vota transeunti, auferens tutelam, respicit bonum, & favorem filiorum; ne, ut communiter fit, matre in tali casu tutelam retinente, incurrant periculum malæ administrationis, & bonorum dissipatiōis, accedente novo marito, & liberis ex illo; hanc autem suspiciōem, quæ perquam frequenter contingit, nec purgat mariti bona opinio de hac privata persona, & Uxore sua; nec etiam ullo jure illi concessum est, legibus, *hoc communi periculo & suspiciōi prudenter subnixis*, privata viri designatione, derogare: ergo. Sic Anton. Gomez, & alii, quos citat & sequitur Castropalaus de sponsal. D. 4. p. 13. §. 3. num. 7. qui num. 8. censet probabilius, hoc non extendi ad Patrem; cum hæc leges penales in hoc puncto semper loquantur signatè de matre non Patre; præsertim, cum Patres ob novum conjugium non ita facilè perdant priorum filiorum amorem, sicut mulieres, quæ levioris sunt ingenii; arg. L. Lex, quæ tutores. C. de administrat. tutorum.



§. 5.

*De pœnis viduæ transeuntis ad secundas nuptias non depositæ legitimè tutelâ.*

1825. Resp. in Authent. de nuptiis. §. si autem tutelam. collat. 4. & in Authent. Eisdem pœnis. C. de secund. nupt. statui, ut vidua filiorum tutrix, transiens ad secundas nuptias, non adito prius Iudice, à quo perat filiis tutorem designari, susceptæ tutelæ rationem reddat, & quidquid ratione tutelæ debet, solvat, iisdem pœnis subiaceat, quibus secundò nubentes intra annum luctûs; quas dedimus supra n. 1808. ita Sanchez cit. D. 88. n. 13. excipe, nisi fuerit minor, tempore susceptæ tutelæ, licet major fuerit, dum ad secundas nuptias transiit. Nam cum tutela minoribus sit interdicta, susceptio tutelæ nulla fuit, consequenter etiam tacita promissio, de qua in seq.

1826. Nec obstat, eas pœnas, Jure Canonico, sublatas esse, imò nec jure civili hodie tenere, ut diximus n. 1811. Nam hoc procedit, in quantum statutæ sunt *in odium secundi matrimonii contracti infra tempus lugubre*; & hoc titulo etiamnum sublata manent, *secus* tamen est, in quantum statutæ sunt *contra violantes fidem* in commissa tutelæ administratione. Nam mulier suscipiens tutelam, & in hac susceptione renuntians secundis nuptiis, tacite promittit, quòd ad secundas nuptias non transibit, nisi prius addito Iudice, tutore filii petito, susceptæ tutelæ ratione reddita, quæ promissio in dato casu violatur. Præter prædictas pœnas in hoc casu etiam statuitur *L. Omnem 6. C. ad S. C. Tertul.* ne in hoc casu mulier, etiam ab intestato, succedere possit illi filio, etiam viâ substitutionis, si impubes moriatur, & *L. si Mater C. Ex quibus causis tacit. pignor.* ut in hoc casu bona posterioris viri sint tacite obligata pro mala talis fœminæ administratione.

#### ARTICULUS IV.

*Qua notitia, de obitu prioris conjugis, requiratur, ut licita sint secundæ nuptiæ?*

1827. Cùm sæpe contingat, quòd conjuges longo tempore à se invicem absentes sint

(ut si unus eorum belli capiatur ab hostibus, & inde alteri non constet, an vivat, an obierit) quæri potest, si relictus in tali casu aliud matrimonium inire velit, qualiter constare debeat de morte alterius conjugis, ut iste licite contrahat, & licite à Parocho ad alias nuptias admittatur?

Hæc quæstio proposita fuit Clementi III. Episcopo ab Cæsare augustano, in casu, quo mulieres, viros suos absentes, etiam ultra septennium expectarunt; & respondit Pontifex: quòd *quantocumq; tempore ita remanserint, non possint ad aliorum consortium canonicè transire, nec auctoritate Ecclesie permitti debeant contrahere aliud matrimonium, donec certum nuntium accipiant de morte virorum.* Sic habetur c. in presentia. 19. de sponsal. item c. Dominus de 2. nupt. c. Cùm per bellicam 34. q. 1. & c. Dominus ead. q. 2. ubi dicitur: *nisi constet de morte alterius.* Ubi bene notanda verba: *quantocumq; tempore*, ita (nimirum dubia de morte suorum virorum) remanserint; ergo ubi mulier certa est (puta, si fuit præsens morti, vel ejus sepultura post pugnam, ubi cecidit) non est locus huius dispositioni, exigenti certum nuntium. Ex hoc Pontificio rescripto nata est quæstio, quæ notitia de obitu prioris conjugis in hoc casu sufficiat, ut verificetur: *constare*, vel *haberi certum nuntium*, quo non habito, nec conjunx superstes canonicè transire potest ad aliud matrimonium, nec Iudex Ecclesiasticus illud admittere.

Pirhing de sponsal. n. 130. respondet, pro foro externo requiri moralem certitudinem, quæ scilicet excludit prudentem formidinem oppositi; nec sufficere moralem probabilitatem, nisi in foro interno. Esparza in tract. de opinione probabili a. 110. p. 3. censet in illis Canonibus non alium probabilitatis gradum videri posse rationabiliter desiderari, quàm qui communiter reputatur sufficiens ad fidem humanam non temerè, ac leviter; sed discretè, ac maturè concipiendam, ita videlicet, ut mors prioris conjugis credatur cum fundamentum, ex plerumq; contingentibus non fallentibus, cum quodam excessu, saltem secundùm quid, supra fundamentum, si quod adsit, in oppositum.

Alii plus, alii minus exigunt, nec inde finitè in hoc ipso loquuntur, sed aliam notitiam

ticiam exigunt in Judice Ecclesiastico, ut superstiti veniam transeundi ad secunda vota concedat, aliam in confessorio; aliam in ipso novas nuptias contrahere volente, ut videri potest apud Pirhing. de sponsal. n. 130. & seq. his præmissis.

§. 1.

An, & quæ certitudo requiratur, de obitu prioris conjugis?

1830. Supponendum, quod contractus novi matrimonii in hoc casu cedatim præjudicium prioris conjugis, si forte adhuc superstes sit; consequenter hic jure suo, quod penes ipsum certum fuit, spoliandus non sit in dubio; maxime, cum præsumatur vivere, dum non probatur contrarium, juxta L. v. de Sacrosanct. Eccles.

Ex hoc autem sequitur, quòd in dato casu non sufficiat minor, aut æqualis probabilitas de obitu prioris conjugis, sed requiratur saltem excessus aliquis supra fundamenta, si quæ sunt in oppositum pro ipsius vita, ut rectè notavit Eparza cit. in n. 289. Hoc enim exigitur c. In presentia, de sponsal. postulante certum nuntium; & cit. c. Dominus. 34. q. 2. petente, ut Constet de morte alterius.

1831. Sequitur 2. non esse locum dispositioni juris civilis in L. Uxores. ff. de divort. Uxori dubiæ de morte absentis conjugis licentiam tribuenti, nubendi post quinquentium expectatum. Nec L. Uxor C. de Repudiis, ad hoc exigenti, solum quadriennium. Nam, cum contractus matrimonii inter fideles non maneat contractus merè civilis, sed transeat in Sacramentalem, ejus materia tam in contrahendo, quàm dissolvendo extra forum legum laicarum est, ut diximus n. 1269.

Idem dicendum est de Authent. Hodie C. de Repud. quæ Uxori, postquam audit maritum suum in militia obiisse, interdicitur nuptiæ, donec per se, vel alium belli ducem adeat, ipseque juret, eum obiisse, aliorumque testimonia recipiat, quo factò per annum insuper expectet. Nam hæc juris civilis dispositio, in quantum infra certum tempus prohibet nuptias mulieri habenti talem noticiam de obitu prioris viri, est contra legem Apostoli, de qua n. 1811. & disponit de re, quæ non est sui fori.

Tom. IV.

Porissima difficultas est, quæ certitudo requiratur, ut quis possit tum propriâ, tum judicis auctoritate inire aliud matrimonium? in hac quæstione perquam varii sunt Authores, ut videri potest apud Sanchez lib. 2. hic D. 46. d. num. 5. Mihi videtur sufficere ea, de qua loquitur Eparza cit. num. 2800. consequenter ea probatio, & fundamenta, vi quorum opinio affirmans mortem aliquo saltem modo excedit alteram, & mortem intervenisse, majori credibilitate suadet; quàm fundamenta, si quæ sunt in oppositum. Nam tali casu is, qui ex talibus fundamentis procedit, nec temerè agit, nec imprudenter committit se periculo præjudicandi juri alieno, cum judicet verosimilius jam extinctum esse, & à lege prioris conjugis se solutum.

1833. Quæ verò fundamenta præstent hanc majorem credibilitatem? Doctores communiter resolvunt, relinquendum arbitrio; seu, prudenti, ac maturæ considerationi, ac decisioni Judicis, qui, quod attentis circumstantiis in absente, quoad ætatem, vires, pericula, quibus involvebatur, aut involvi poterat, tempus absentiæ, affectum ad conjugem relictum &c. verosimilius videbitur, pronuntiabit; ita Sanchez cit. D. 56. num. 7. Hostiens: cit. c. in presentia, sub. fin. & Abb. ibid. n. 6. cum Castropalao D. 4. de sponsal. p. 13. §. 1. n. 4. & aliis communiter.

1834. Illud not. ad hanc credulitatem majorem de alterius obitu prudenter concipiendam, non sufficere etiam plurium annorum absentiam, ut expressè dicitur c. In presentia. 19. de sponsal. ibi: *quantocumque annorum numero ita remaneant*, non possint ad aliorum consortium canonicè convolare, nec Ecclesiæ auctoritate permitti debent contrahere, donec certum nuntium accipiant de morte virorum, quamdiu dubiæ sunt de suorum virorum obitu. Nam de hoc casu (ubi mulieres de suorum conjugum morte dubiæ sunt) expressè loquitur jus cit. n. 2797. exigens probationem mortis, per certum nuntium, vel qua de morte constet.

Not. 2. nec sufficere unum duntaxat testem sine aliis adminiculis. Nam *vox unius, est vox nullius. C. Veniens de Testibus, & L. Jurisjurand. C. eod.* si enim in causis etiam levioribus, v.g. civilibus, pecuniariis,

M m m

riis,



riis &c. non sufficit dictum unius, etiam in casu, quo locus nimis distat, unde aliarum probationes vix haberi possint; minus sufficit in re tam gravi.

1835. Nec obstat, quod in *c. In presentia* dicitur: non permittant eos contrahere, donec certum nuntium de morte recipiant; ubi videtur solum desiderari nuntius in singulari, quod satis præstat per unum testem, cui consideratis circumstantiis fides haberi possit. Nam, ut notat Sanchez *cit. n. 10. ly nuntium*, ibi non appellat genus masculinum, seu hominem, qui de morte deponat, vel referat, sed in neutro genere pro eo, quod nuntiatur; quod non habetur per unum duntaxat testem, etiam attentis solis circumstantiis talis persona præcisè, quod sit vir probus, verax, prudens, &c. propter rationes supra.

Secus dicendum est, etiam attentis circumstantiis rei, de qua ambigitur, suadentibus factum, quod unus nuntiat, aut fama vulgat. Tales sunt: si non rediit per complures annos, si navis, quæ vehabatur, interiit; aut exercitus, in quo erat, totaliter ab hoste deletus sit, nemine, vel paucis admodum salvis, ac ignorantibus, quid illi factum sit; vel si testentur eum cecidisse graviter saucium, vel in terras remotas captivum raptatum à Barbaris, præsertim si tunc senex erat, vel valetudinis fractæ &c. quibus concurrentibus etiam numerus annorum, quibus expectandum, paucior, aut major erit, si ex circumstantiis suadeant plus vel minus mortem communiter obtingere ejusmodi hominibus in simili eventu.

1836. Dixi: aut fama vulgat. Nam fama, ab incerto Authore nata, ac sæpe fallaci, non præstat fundamentum morale, seu prudens, quod hic requiritur, dicendi factum, seu asserendi mortem absentis, ut colligitur ex *c. Vestræ, de Cohabit. Clericor.* nec sufficit qualiscunq; fama, nisi probata duobus testibus, omni exceptione majoribus, qui deponant, se à fide dignis audivisse, ac esse in illo loco publicum, & se credere, ita se habere; sic Castropalaus *cit. num. 8.*

1837. Ex dictis colliges, mulierem, quæ habet ejusmodi credibilitatem de obitu viri sui, de qua *n. 1829.* sine recursum ad Ordina-

rium, licitè transire ad secundas nuptias. Nam in tali casu recursum ad Ordinarium nullibi præcipitur, ut communiter tradunt Authores, & videri potest apud Castropalaus *cit. num. 4.* sic enim habet certum nuntium, hoc est, ut recte exponit Esparza supra in *num. 1829.* prudentem credulitatem de morte viri sui, excedentem vi suavisivâ, si quid sit in oppositum pro viri vita.

Et ratio fumitur ex *c. Cum per bellam. 34. q. 1. § 2.* ubi mulieres, quæ viros in captivitatem abductos (bonâ fide) putabant mortuos, & simili bonâ fide (licet erroneâ) credebant, nunquam redituros, adeoque licere sibi de novo nubere, Pontifex judicat *inculpabiles*, quod necessitate (solitudinis, & concupiscentiæ) compulsæ contraxerint; modo ad priores conjuges, si præter opinionem vivi reperiantur, redeant, aut redire velint. Quod sanè factum non esset, si ea credulitas oppositam excedens ad facti excusationem non sufficeret.

Dices: in pluribus Conciliis, ut videri potest apud Gonzalez in *c. In presentia. 19. de sponsal. num. 9. § 11. propter longam & necessariam absentiam* à propria patria, secundum celebrari matrimonium, concessum fuit. Et in *c. Perlatum. 8. Quæ filii sunt legitimi*, cum quidam Episcopus licentiam dedisset mulieri, ut ad 2. nuptias transiret, eò, quod vir ejus per decennium abfuisset, Innocentius III. Episcopum virum *providum* fuisse asserit; & filios ex tali matrimonio susceptos esse legitimos pronuntiat, ut videri potest apud Gonzalez *cit. num. 10.* ergo longa viri absentia est sufficiens causa, ut alter conjunctim licitè transeat ad secunda vota.

Gonzalez *cit. num. 9.* responderet: si credere, huic difficultati nullo modo satisfieri posse, nisi asserendo, Patres Synodi apud Wermeriam celebrare, in ea fuisse sententiam, ut ex justa causa matrimonium, etiam quoad vinculum dissolvi posse, censuissent, ut constat ex *can. 3. ipsius CC. ibi: si quis Presbyter neptem suam Uxorem habuerit, ipsam dimittat, & gradum perdat: si alius eam acceperit, & ipsam à se rejiciat, si se continere non poterit, aliam accipiat.* Verùm cum matrimonium ex ipsa



consortium convolare, nec Ecclesie auctoritate permittendos contrahere, non recepto certo nuntio de viri obitu, eandem certitudinem nuntii in utroque casu Sacri Canonis requirunt.

2. Quia licet quis ex probabili iudicio prudenter operetur ea, quae in nullius cedunt praedictum; secus tamen est in his, in quibus alteri est jus quaesitum, atque adeo, cum agitur de praedictum tertii; at in hoc casu agitur de praedictum prioris viri, cum habeat jus quaesitum ex conjugio cum hac muliere privative quoad alios, quamdiu non solvitur conjugale vinculum; ergo ut in hoc casu unus conjugum, non certus de obitu alterius, transeat ad secunda vota, non sufficit verisimilitudo, quam praestat opinio probabilis: sic ille.

1844. Ad rationem in contrarium respondet, in *c. Cum per bellicam*, non dici sufficere existimationem quamcumque de obitu alterius; sed, eam, quae sufficit, ut etiam in casu, quo tangitur alterius praedictum, voluntas prudenter imperare possit executionem; sed talis non est, quam praestat utcumque opinio probabilis ex dictis; ergo; sic etiam Sanchez cit. n. 6. & alii. Idem respondetur ad *c. Quoniam in n. 1842.*

Confirmari potest ex propositione secunda, quam damnat Innocentius XI. in suo decreto, quae sic habet: *probabiliter existimo, Iudicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.* Nam ex hoc deducitur, nec conjugem, non certum de obitu alterius, licet habeat opinionem minus probabilem de hoc, si opposita pro non obitu sit probabilior, posse transire ad secunda vota. Nam cum in utroque, nimirum tali conjugum contrahente, & Iudice, id permittente, debeat ratio, suadens mortem, esse ejusdem firmitatis, ut dictum est n. 1843. si iudici non licet permittere secundum opinionem minus probabilem, nec illi licebit contrahere; his praemissis:

1845. Videtur omnino dicendum, etiam in contrahente, non tantum, ut securus sit in foro externo, sed etiam interno, requiri; quod procedat ex probabilitate prevalente adversus fundamenta, quae sunt in oppositum pro alterius conjugis superstitie adhuc vita. Nam tali casu & Iudex contractum permittere potest, cum sequatur in casu dubio, & tangente praedictum tertii, quod probabilius est.

§. 3.

*An separandi sint conjuges, quorum alter, dubius de obitu prioris conjugis, contraxit?*

De hoc casu agitur in *c. Dominus. ab. 1. ibi: si vero aliquis, vel aliqua id habens non servavit* (hoc est, ut colligitur ex praecedentibus, ad quae textus per verbum *id se* refert: si vero aliquis, vel aliqua, non habita obeuntis conjugis certitudine contraxit) *& de morte prioris conjugis sibi adhuc existimet dubitandum, ei, quae sibi nupsit, debitum non denegat, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum.*

Ex hoc textu colligitur, si quis non habitam requisitam notitiam de obitu conjugis sui, nihilominus contraxisset secundas nuptias, & his durantibus adhuc majorem super eo notitiam non haberet, consequenter incertus de obitu prioris maneret, non debere separari a secundo, nisi constet de prioris conjugis vita, ut patet ex textu; ibi: *quod si post haec de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis, illicitisque complexibus, ad priorem sine dubio conjugem revertatur.*

Ubi not. ea verba: *post haec*, nimirum non ante matrimonium ejusmodi separandum, licet incertus de obitu prioris viri contraxerit; & postea dubium suboritur de ipsius vita, vel prior incertitudo perseveret; sed solum, ubi constiterit de prioris conjugis vita: quod ex eo etiam confirmatur; quia ipsi, etiam in eo casu permittitur, debitum reddere alteri bona fide petenti, supposito semel contractu secundarum nuptiarum; quod tamen fieri non potest, si quod cum tali incertitudine contraxerit, matrimonium separandum est.

Ex dictis colliges, Iudicem Ecclesiasticum, postquam intellexit, virum, vel mulierem contraxisse secundas nuptias non habitam certitudine de obitu prioris conjugis, non debere, nec posse, separare nuptios conjuges, donec constiterit, priorem conjugem adhuc vivere. *Non debere*; quia tali casu conjugis, qui sic nupsit, non obstantes, quod non servaverit, quod debebat, conceditur alteri petenti debitum reddere; nec novum conjugem tenetur deserere, nisi de vita prioris conjugis constiterit, ut dictum est n. 1846. ex *c. Dominus*; & cit. *c. Cum per bellicam. 34. q. 1. ibi: si viri post captivitatem reversi, restituendum est, quod sibi petiit.*

1848. Dixi: nec posse tale matrimonium separare, nimirum quoad vinculum, quia cum certum non sit, priorem virum vivere, et si mortuus sit, secundum matrimonium in re valeat, nisi confiteretur priorem virum vivere, tantum Sacramentum rescindi non debet, ut constat ex præmissis; præsertim, cum noverimus scriptum, ut ait Leo Pontifex rescribens Nicetæ, Episcopo Aquileensi, ut habetur in cit. c. Cum per bellicam, quod à DEO jungatur mulier viro, & iterum præceptum agnovimus, ut, quod DEUS junxit, homo non separet.

Ex quibus verbis Leonis satis apertè colligitur, hoc præceptum divinum non loqui tantum de matrimonio consummato, sed raro etiam, & omni matrimonio legitimo; quia loquitur de non solvendo per hominem vinculo inter eos, quos DEUS junxit, in omni autem matrimonio legitimo à DEO mulier jungitur viro, ut ait Leo cit. ergo in omni matrimonio legitimo est vinculum non solvendum per hominem; ergo non in solo matrimonio consummato.

## §. 4.

An mulier, quæ transiit ad secundas nuptias, possit remanere cum secundo, si primus vir redux, nolit eam accipere?

1849. Ante responsionem not. si mulier, etiam cum consensu Ecclesiæ, transiit ad secundas nuptias (quia credibilis erat priorem ejus virum obiisse) adhuc teneri redire ad primum, cum is rediret, ac eam expeierit, non obstante, quod cum secundo libentius maneret, & jam liberos suscepit. Constat ex cit. c. Cum per bellicam, ibi: si viri, post longam captivitatem reversi (esto eorum Uxores interim alteri nupserint) eas cupiant in suum consortium redire, restituendum est, quod fides poscit, nimirum conjugalis, mulierem vinculo justitiæ constringens ad individuam vitæ societatem cum illo, dum ambo vivunt. Idem habetur in c. Cum in captivitate. 34. q. 1. & c. Dominus. 2. b. t. ut patet ex dictis suprâ.

Ex hoc fit, respondendum negativè ad quæstionem propositam. Nam, cum in dato casu constet de vita primi ejus mariti, constat etiam de nullitate matrimonii

cum secundo, consequenter sive primus vir eam recipiat, sive non, constat, secundum non esse virum suum; atq; adeo, si nihilominus ei adhereret per usum conjugalem facti, fore usum non tantum illicitum, sed etiam adulterinum; quia sic mulier constante matrimonio legitimo scienter copularetur non suo.

Et ideo ab eo momento, quo mulieri, quæ secundas nuptias contraxit, constat, adhuc vivere priorem suum conjugem, omnis copula cum secundo illicita illi, imò adulterina est; ut patet ex priori n. & constat ex c. Dominus, ibi: illicitis, & adulterinis complexibus, quos tales compellat Pontifex, si de prioris conjugis vita constiterit, nimirum illi, quæ hujus uxor est. Si verò aliis, tenebuntur hoc ipsam canonicè denunciare, ne deinceps ut conjuges simul vivant, qui conjuges non sunt.

Dices: in c. Cum per bellicam, solum dicitur, restituendum, quod fides poscit, si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suorum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium; ergo si eas non cupiant, imò non recipiant, poterunt remanere cum secundo, cui nupserunt illis absentibus. Resp. N. conseq. Nam aliud est, quod in dato casu non sint restituendæ primo quoad cohabitationem, & thorum, si eas viri recipere nolint; aliud, quod ex hoc illis licitum fiat, manere conjugaliter cum alio non suo, stante vinculo cum primo. Illud, rectè inferitur ex dato casu; non istud. Quia per hoc, quod vir rejiciat Uxorem suam legitimam, non scinditur ligamen, seu conjugale vinculum cum illo, consequenter Uxori non evadit licitum, vivere carnaliter cum alio, non suo. Et quia si dato casu cum secundo se remansuram diceret, non ut Uxorem, sed tantum ut inquiliam domus, est morale periculum incontinentiæ, præsertim, si ante carnis consuetudinem habuerunt, nec isto titulo, in domo prioris mariti solum putativi per Judicem Ecclesiasticum tolerari posset.

## §. 5.

An conjunx alterum, ex captivitate reducens, teneatur recipere?

Non est dubium, inter eos remanere conjugale vinculum; consequenter, nisi is, ad quem alter redit, habeat justam causam

M m m 3

divor.

divortii, seu separationis quoad thorum, & cohabitacionem; teneri reducem admittere in conjugale consortium. Difficultas est. 1. si captivus in captivitate defecit à fide v. g. amplexus est Mahomerismum? 2. si in captivitate suscepit liberos ex alia? 3. si redux esset interim vitiatu corpore, mutilatus, deformis &c. Ad 1. certum est 1. per eam apostasiam non esse solum conjugale vinculum, natum ex matrimonio, quod fideles contraxerunt; cum matrimoniâ fidelium nullo casu, sine DEI revelatione, potestate homini concessâ dissolvi possint ex dict. Certum est 2. si talis conjunx captivus per vim præcisam, & absolutam, coactus fuisset ad signa solum externa falsæ sectæ v. g. vi circumcisus, aut idolo immolare coactus, ex hoc capite non posse illum rejici ab altero. Sic enim spoliaretur jure suo sine omni sua culpa. V. n. 390.

Certum est 3. conjugi fideli, cujus conjunx ab hostibus captus defecit à fide, & Mahomerismum v. g. voluntariè suscepit, nec ad fidem, esto posset, redire velit, etiam liber captivitate, omnino licitum esse, illum rejicere quoad thorum, & cohabitacionem; non tamen posse transire ad alias nuptias, dum iste vivit, quia matrimoniâ fidelium non solvuntur ob unius lapsum in hæresim, aut contumeliam Creatoris; prout superioribus qq. traditum est. V. n. 1549.

1852. Ad 2. Resp. si mulier in captivitate suscepit liberos ex alio, per vim præcisam, oppressa, non posse illam reducem à viro etiam quoad thorum, ex hoc præcisè titulo respui. Nam adulterium ex vi præcisâ commissum, non præbet justam causam diverrendi etiam innocenti ex n. 1537. secus est, si voluntariè per n. 1525. si per vim solum conditionalem, seu gravem metum, ut plerumque incutere solent barbari, nisi voluntati eorum pareatur, constat ex dictis n. 1528.

1853. Ad 3. Resp. per nullam infirmitatem, vel vitium corporis superveniens matrimonio fidelium legitimè contracto solvi matrimonium vel quoad conjugale vinculum, vel quoad thorum, nisi tale sit, quod alterum deobliget à consortio thori propter evidens periculum infectionis, pestis, morbi gallici &c. ut dictum est à n. 1030.

§. 6.

An mulier, que incerta de obitu primi viri, nupsit secundo, licite reddat debitum?

Videtur, quòd non; quia, in dubiis tior pars est eligenda; & quidem non ex mere consilio, sed ex præcepto universali pro omnino dubio resultante ex rationibus, opinionibus contrariis, quarum altera affirmat, rem esse prohibitam, & malam; altera negat, esse licitam; juxta regulam juris traditam c. ad audientiam, c. Significasti, de homicid. c. Juvenis. de sponsal. at in hoc casu, cum mulier, incerta de obitu primi viri, nupsit secundo, est propriè dubium, an secundo licitè reddat debitum? cum sit incertum, an stet matrimonium cum eo, consequenter an sit vir, suus? & in tali casu, non reddere, tutius est; ergo reddens in illo dubio debitum, peccat, consequenter illicitè agit.

Ma. prob. 1. quia operans, stante illo dubio, operatur sine dictamine conscientie, quòd hic & nunc sibi liceat operari; loquimur enim de dubio propriè, quando scilicet intellectus habet se ad diversa, quin ulli accedat, manens omnino in suspensio. At omne, quòd non est ex fide, id est, ex dictamine conscientie, peccatum est; ergo qui operatur cum illo dubio, peccat. 2. quia operans cum illo dubio peccat contra legem amicitie cum DEO, & subjectionis illi, ut supremo Domino, ac Legislatori debita; hæc enim lex petit, ut non tantum abstinemus ab his, quæ scimus offendere; sed etiam, de quibus dubitamus, ampet ea, si fiant, non sit offendendus amicus, Dominus, Legislator? 3. quia operans cum tali dubio contemnit DEUM, ejusque legem; quia virtualiter dicit: sive detur præceptum divinum, hanc actionem prohibens; sive non detur; volo hanc actionem exequi. Minor etiam probatur. Nam illa pars est tutior, quam, si sequaris nullum committes peccatum; sed in eo casu mulier, incerta de morte prioris viri, non reddendo debitum secundo viro, stante hac incertitudine, sequitur sententiam, quæ dicit, prohibere esse illi in hac circumstantia reddere, nullum committet peccatum; ergo.

Verum in hoc casu contrarium decisum est in c. Dominus 2. b. t. ut constat ex textu relato in n. 1846. ubi expresse dicitur, quòd

debitum non denegat, consequenter reddere petenti debeat. Ex qua decisione Pontificia, atq; adeo certâ (cùm sit in questione juris) satis aperte eadit propositio in n. 1854. Ad rationes in contrarium dupliciter responderi potest. 1. trans. ma. N. min. 1. quoad hoc, mulier in eo casu necessariò manet dubia propriè, nimirum suspensa, & neutri adherens, ex diversis, quæ illi proponuntur. Nam. 1. si assentiatur parti dicenti, teneri reddere, ducta motivo, quia pro tali casu sic decifum est, non operatur cum dubio propriè dicto, seu suspensio in alterutram partem intellectû.

1856. Secundo, si per iudicium reflexum accedat ei sententiæ (quæ probabiliter dicitur, licere, tunc reddere; esto alia dicat, non licere) subnixum motivis actûs directi affirmantis, ut subest certis circumstantiis. Nam licet illa opinio directâ, quæ affirmat, licere, procedat ex motivis directis, minus probabilibus, quàm sint ea, ex quibus procedit opinio directâ, negans licere; si tamen intellectus reflectens super actum directum, probabiliter affirmantem, licere, & ejus motiva non sumpta solitariè, sed in his circumstantiis (1. quòd opinio directâ contradicens, manet incerta. 2. quòd penes alterum, pro quo stat opinio affirmans licere, stet possessio libertatis, & matrimonii. 3. quòd nemo spoliari debeat jure, bonâ fide quaesito, sine causa illum deturbante; ubi legis prohibentis existentia est etiam, moraliter incerta. 4. quòd opinio negans licere, non evertat probabilitatem, etiam respectivam opinionis directæ stantis pro licentia) mihi saltem multò probabilius est, intellectum prudenter posse reflexè pronuntiare, mulierem sub hoc dictamine procedentem, vel à confessario ad sic procedendum directam, non modò non agere cum ullo dubio propriè dicto, sed etiam, cum recta, justaq; regula morum, avertente omni omnino culpam.

1857. Cujus ratio est, quia licet fortè intellectus videns, per rationes oppositas suaderi quidem, probabilius, existentiam legis prohibentis (si conferantur cum rationibus actûs directi negantis existentiam legis, si considerentur secundum se) non possit reflexè pronuntiare, nihilominus licitum esse operari, quod probabilius est, probari: prudenter tamen pronuntiare potest, non dari legem prohibentè proximè obligantem,

si reflectamus supra iudicium directum affirmans licere, non nudè sumptum; sed, ut subest dictis circumstantiis, quòd non obstante illâ majori probabilitate adhuc etiam respectivè probabile sit, eam non darij & voluntas antecedenter sit in possessione libertatis contra legem, quàm diu ejus existentia non constat saltem morali certitudine. Nam his seclusis voluntas possessione suæ libertatis spoliari non debet; neq; lex vim proximè obligandi obrinet apud eum, cui intimata non est ejus existentia, saltem morali certitudine, ut diximus in tit. 2. l. 1. Decretal.

Quòd autem probabilitas absoluta actûs 1858. directi, stantis pro una parte contradictionis, etsi minor oppositâ, per hujus excessum non deiciatur à statu veræ probabilitatis, etiam collata cum hoc excessu, inde fit; quia probabile solum evertitur per certum oppositum; nam magis, & minus probabile, simul consistere possunt, cùm reflexè considerans momenta utriusq; actûs secundum se, & judicans unam partem esse probabilem, & alteram oppositam magis probabilem, sibi non contradicat; idem enim est, ac si diceret: existentia rei habet apparentiam veri, sed carentia existentie, majorem; in quo nulla est actuum contradictio circa objectum: si autem utrumque consideret, prout subsunt datis circumstantiis, quæ subsistunt, rectè pronuntiabit in eo casu, non existere legem proximè obligantem.

Hanc porò regulam (in dubio melior est 1859. conditio possidentis) non tantum in materia justitiæ, sed in quacunq; alia, locum habere, expressè docet P. Thomas Sanchez l. 1. matr. D. 9. n. 11. ubi ait cum dubitatur de vinculo contracto, voluntatem possidere, ac pro illa judicandum. Nec obstat, requiri bonam fidem possidentis. Nam voluntas ante hoc dubium bonâ fide possedit libertatem, nec dubium superveniens, quòd sollicitâ diligentia vinci nequit, tollit bonam fidem. Sic ille ibidem, dignus lectu usq; ad n. 12. & l. 2. D. 41. n. 24. Et ideo etiam negandum est, quòd adducit P. Halden in Brevio Theol. c. 4. Thes. 2. antithes. 2. assert. 1. volens, in occurfu opinionis probabilioris, negantis honestatem, & licentiam alicujus actionis, assertam à sententia minus probabili, non posse amplius judicari, esse illam honestam, quando in tali occurfu ma-

jur datur apparentia, & fundamentum judicandi, eam actionem esse difformem legi, & sententiam, quæ asserit ejus conformitatem cum lege, esse falsam.

Nam complures hoc assertum rectissime negant; cum opinio nitens illo etiam motivorum excessu, adhuc maneat incerta, nec oppositam reddat certò falsam; cum id fiat per certum; nec evincat legis existentiam ut proximè obligantis, cum existentiam ejus non doceat morali certitudine; nec denique voluntatem dejiciat à sua possessione contra legem, quàm diu, eam dari, non est, saltem moraliter, certum. Accedit, quòd ad summum sequatur, in occursum sententiæ probabilioris contra honestatem actionis, assertam à minus probabili, non posse actu directo prudenter judicari, esse honestam; non autem, non posse actu reflexo, cujus objectum sit actus directus cum suis motivis non secundum se, sed consideratis, prout subsunt circumstantiis, de quibus supra n. 1856. Dixi superius nego minorem, & primò propter rationes allatas ibi, in statim seq. Jam N. eandem secundò, quòd pars suadens, non reddere debitum in dato casu, sit tutior, sumendo partem tutiorem, ut à quibusdam contrariis exponitur, expositione relata in n. 1854. Nā in dato casu mulier, non reddendo debitum petenti bonà fide, peccaret, contra jus, in cujus possessione bonæ fidei est secundus maritus; 2. contra decisionem Papæ in n. 1855.

1860.

Resp. 2. ad object. in n. 1854. N. ma. quòd hæc juris regula (in dubio tutior pars est eligenda) sit præceptiva universaliter in quocunq; casu opinionum sibi contradicentium. Nam etsi verum sit, quòd operans in & cum tali dubio (nimirum quando intellectus habet se ad diversa, & nulli eorum accedit) peccet; ex hoc tamen solum sequitur, & assertæ probationes nil aliud evincunt, quàm quòd sic dubius, manens sic dubius, non possit licitè prodire in partem minus tutam; non autem, quòd adhibita reflexione super motivis actus directi non secundum se, sed sub iis circumstantiis, de quibus n. 1856. reflexè perpensis, non possit formare dictamen practicum, quòd citra ullam culpam in illis circumstantiis suadetur licitum; & secundum illud licitè operari. Deinde, eatenus ea juris regula (in dubiis tutior pars est eligenda) esset universaliter præceptiva, quatenus concursus

opinionum, quarum una affirmat rem esse illicitam, altera licitam, necessario induceret intellectum in inevitabilem suspensum omnis actus circa diversa, quæ proponuntur; & voluntas, sic suspensa intellectu, prodiens in actum circa unam partem contra dictionis, non electa tutiore, peccaret; sed ea necessitas nullo modo probatur; cum intellectus judicio reflexo, de quo supra, possit prudenter determinare, quid hic nunc agendum; quo posito:

Etsi in eo casu non eligeret tutiorem (hoc est, faventem legi contra libertatem) non operaretur sine conscientia, ex quo patet ad 1. probat. majoris negatæ, quæ habetur supra. Neq; lex amicitia; aut subjectionis ad Deum, debito conscientia; seu obligatione naturali petit, ut voluntas conformet se legi divinæ, quando ejus existentia nec est moraliter certa, sed positivè dubia, nec morali certitudine intimata; ex quo patet ad prob. 2. & ad 3. prob. supra. Resp. etsi quis in dato casu non eligat tutiorem, ductus dictamine reflexo, quo dictum est, nec sequi, quòd operetur in dubio, nec intervenire ullum etiam virtuales Dei contemptum, de quo ibi, ut patet consideranti.

Nec ex cit. capitulis, quibus habetur illud juris principium, (in dubio tutior pars est eligenda) evincitur illud esse universaliter, & in omni materia præceptivum, ut etiam notat D. Antoninus apud Esparzam de opinione probabili. p. 3. a. 165. dicens: eligere in dubiis viam tutiorem, consilii est, non præcepti. Aliis enim, inquit, oportet multos ingredi religionem, in qua tutius vivitur, quàm in seculo. Licet in casu dubii propriè dicti, cum intellectus defectu fundamenti sufficientis, ut unam determinatè partem prudenter suadeat, manet suspensus, tutior pars eligenda sit, ea nimirum, quæ citra peccatum sit; non extenditur tamen ad casum, cui favet opinio practice probabilis, ut pluribus ostendimus in tractatu de actibus humanis, & vim universalem præcepti, ex dictis capitulis non probari, fuscè ostendit Esparza, de opin. probab.

Colligitur etiam ex c. Cum per bellicos, sæpè cit. ubi Leo Pontifex vocat inculpabile factum mulierum, quæ viros proprios in captivitate abductos, aut interemptos patientes, aut nunquàm à dominatione recedentes liberandos, ad aliorum conjugium, sollicitè digne cogente, transferunt. Itè non esse culpabilem

judicandum, & tanquam alieni juris per-  
valorem, qui personam ejus mariti, qui  
jam non esse existimabatur, assumpsit.  
Nam, si in casu, quo mulieribus illis mors  
suorum prius virosum certa non erat, ex  
conscientia tenebantur partem tutiorem  
amplecti, nimirum non transire ad secun-  
das nuptias, quia sic nullum materialiter  
peccatum commississent; dici non pote-  
rat *inculpabile factum*, si nihilominus  
transiverunt, solum *putantes*, esse mor-  
tuos, aut *credentes*, non liberandos: & ta-  
men Pontifex earum factum vocat *incul-  
pabile*, modo secundum maritum relin-  
quant, & ad primum redeant, si is reverta-  
tur; ergo illa juris regula: *in dubijs turior  
pars est eligenda*, non est universaliter  
præceptiva, & in omni materia; circa  
quam opiniones oppositæ confligunt, si  
pro utroque adsint rationes probabiles.

## ARTICULUS V.

An secunda nuptiæ sint benedicendæ?

1863. Super hac materia duo sunt capitula,  
hoc titulo. Primum est c. *Capellanum* 1.  
h. 1. ubi Alexander. III. præcipit, Capella-  
num, qui secundas nuptias benedixit, ab  
officio, & beneficio suspensum, cum lite-  
rarum testimonio mitti ad sedem Aposto-  
licam, appellatione cessante. Alterum c.  
*Vir autem* 3. eod. ubi Urbanus. III. dicit,  
virum & mulierem ad bigamiam trans-  
euntem, non debere à Presbytero benedici;  
quia, cum aliâ vice benedicti sint, eorum  
benedictio iterari non debet.

1864. Pro expositione utriusque cc. not. 1. per  
*Capellanum* hic intelligi Parochum, cui ex  
officio incumbit nuptijs interesse, & bene-  
dictionem nuptialem conjugibus præstare,  
ut notat Gonzalez in cit. c. *Capellanum*. n.  
2. & constat ex Trid. sess. 24. de reform.  
*matrimonij* c. 1. ubi Concilium simpliciter  
statuit, non præcipiendo sed *hortando*, ut  
novi conjuges ante benedictionem Sacra-  
mentalem, in templo suscipiendam, in  
eadem domo non cohabitent. 2. simpli-  
citer statuit, ut benedictio à proprio Pa-  
rocho fiat, neque à quoquam, nisi ab ipso  
Parocho, vel Ordinario, licentiam ad præ-  
dictam benedictionem faciendam alij Sa-  
cerdoti concedi posse, quacunquē con-  
suetudine etiam immemorabili, vel privi-  
legio non obstante. Et ideo, qui conjugibus  
benedictionem nuptialem etiam in

Tom. 17.

primis nuptijs præstare ausus fuerit sine  
licentia proprii ipsorum Parochi, vel Ordina-  
rii, juxta Trid. cit. ipso jure tam diu sus-  
pensus manet, quamdiu ab Ordinario  
ejus Parochi, à quo benedictio suscipienda  
erat, absolvatur.

Hanc porro suspensionem non incur- 1865.  
rit, qui conjugibus benedictionem sine  
proprii eorum Parochi, vel Ordinarij li-  
centia præstat ex ignorantia dictæ legis,  
nisi conjuncta sit cum *ingenti temeritate*,  
ut docet Sanchez l. 3. hic d. 48. n. 7. cum  
alijs. Hoc enim denotant ea verba: *qui  
ausus fuerit*; seu *temerè præstiterit*. Nam  
verbum *temerè* importat propriè aliquid  
facere cum contemptu legis, ut notat St.  
Thomas 2. 2. q. 53. a. 3. ad. 2. cum Cajeta-  
no ibid. apud Barbof. de *dictionibus*. V.  
*temerè*. Suspendio autem illa, de qua n.  
priori, infligitur ipso jure; cum ly *suspen-  
sus maneat*, sint verba præsentis temporis,  
quæ latam sententiam important, ex com-  
muni regula de censuris, & cum commu-  
ni tenet Barbof. in Trid. cit. 166. volens  
cum Hurtado de *censur. tract. de suspens.  
difficult.* 13. n. 40. extendi posse nedum  
ad officium, sed etiam ad beneficium.

Not. 2. benedictionem conjugalem 1866.  
non posse, nisi inter missarum solemnias  
fieri, docere Barb. cit. n. 151. ubi etiam  
subjungit, eam posse omitti à contrahenti-  
bus secundas nuptias, si in prioribus sint  
benedicti, imò nec posse recipere juxta n.  
1863.

Not. 3. quod dicitur in Trid. cit. ne  
conjuges ante benedictionem Sacerdota-  
lem, in Templo suscipiendam, in eadem  
domo cohabitent, esse solum consilij, non  
præcepti, ut patet ex illis verbis: Præterea  
eadem Sancta Synodus *hortatur*.

Not. 4. in quaestione: *an sit peccatum*, 1867.  
*consummare matrimonium, ante receptam  
benedictionem nuptialem*, secluso nimi-  
rum Scandalo, & contemptu hujus Eccle-  
siastici usus? R. negativè ex n. priori.  
Non esse mortale communis tenet cum  
Rebello, p. 2. l. 2. q. 7. n. 2. nec unde sit  
veniale; ex Trid. colligitur, cum sit so-  
lum consilij, ne prius in eadem domo co-  
habitent.

Dices: ergo talis benedictio poterit o- 1868.  
mnino omitti sine peccato, modò absit  
scandalum, & contemptus: at hoc dici  
non potest, cum Concilium expressè di-  
cat:

N n n

cat:



cat: *statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri.* N. illatum sic generaliter acceptum. Nam *ly statuit* importat præceptum; quia tamen res præcepta est solum levis, nimirum Sacramentale, nec valde congruens progressui matrimonij (ut notat Barbof. *cit. n. 150.*) ad summum erit veniale; ita Sanchez *hic l. 3. d. 82. n. 6. dixi ad summum*, quia *ibi* forte non est præceptum, ut recipiatur; sed solum, si recipienda est, ne fiat ab alio, quam proprio Parocho; non autem ab alieno, nisi de ipsius licentia, nullis privilegijs alienum juvantibus in hoc puncto, nimirum concessis ante hoc decretum Tridentini, quo ipsi expressè derogatur. esse autem alibi præceptum, ut recipiatur, habetur ex *c. Nosstrates, & c. Sponsus. 30. q. 5. & universali Ecclesie uti.*

1869. Not. 5. in casu benedictionis nuptialis recipiendæ, Parochum censeri *proprium*, modo sit proprius unius ex contrahentibus. Sic Barb. *cit. n. 154.* & in simili dictum est superius de proprio Parocho ad assistendum matrimonio. Not. 6. Parochum proprium debere recipere elemosynam occasione benedictionis, & non alium, ex decisione S. Congregationis Rituum, in quadam causa Acherontina. 25. Jan. 1602. de qua Barb. *cit. n. 155.* his præmissis: Quæstio est. 1. in quem finem illa nuptialis benedictio instituta sit? N. cum Sanchez *cit. d. 82. n. 1.* quod instituta sit non modò ad dignitatem Sacramenti, sed etiam ad actus conjugij decenter agendos, & carnis appetitus refrenandos.

1870. Quæstio est. 2. an hæc benedictio secundis nuptijs impertienda sit? N. stando in jure scripto, dicendum negativè ut constat ex *cit. capitul. in n. 1863.* quod procedit saltem in casu, quo ambo in prioribus nuptijs jam benedicti sunt. Idem dicendum censet Sanchez *cit. d. 82. n. 15.* & deducitur in *c. Vir autem*, de quo *num. 1863.* quando nuptiæ sunt secundæ *ex parte mulieris tantum*; si autem sunt secundæ tantum ex parte viri, ut si virgo, vel prius innumpta contrahat matrimonium cum viro, qui prius benedictus fuit in alio matrimonio, secundas nuptias iterum benedici, censet Covarr. *in 4. decret. p. 2. c. 8. §. 11. n. 2.* Verùm hoc est contra *cit. c. Vir*: ubi dicitur, secundas nuptias non

debere benedici, quia cum benedictio sit communis viro & mulieri, si quando unus eorum semel benedictus, in secundis nuptijs ex parte viri mulier prius innumpta, & non benedicta benediceretur, eo ipso etiam benediceretur vir; jam antè benedictus, consequenter fieret benedictionis iteratio, in eo c. prohibita. Ex hoc colligitur, si nuptiæ sint secundæ ex parte viri tantum, siue tantum ex parte mulieris, siue demum ex parte utriusque, secundas nuptias non esse benedicens; quia, ut constat ex *cit. c. vir*, benedictio in persona benedicta non debet iterari.

Quæstio est. 3. quomodo poena possit esse tam gravis in *cit. c. Capellanum*, illi statuta, qui secundas nuptias benedicit; cum hoc delictum videatur esse *ex se solum leve*. Mihi probabilius est, in *cit. c. 1. eam* poenam non esse *ordinariam*, nec esse constitutum jus universale; quia poena multum excederet delictum; sed solum esse *arbitrariam*, & pro casu particulari, munito alijs circumstantijs, quibus delictum illud poenæ proportionatum evasit, eam poenam decretam esse. Sic Abb. *in cit. c. 1. Sanchez cit. d. 82. n. 30.*

Quæstio est. 4. num quoad quæstionem (*an secundæ nuptiæ possint licitè benedici*) saltem de jure non scripto, seu consuetudine possit affirmativè responderi? Aliqui censent, talem consuetudinem non valere, nisi sit inducta sciente, imò ex certa scientia illam approbante Pontifice.

Verùm contrarium est probabilius, ut notat Sanchez *cit. n. 20.* Nam, ut humana lex aboleatur, & transgressores à culpa excusentur, per inductam consuetudinem illi contrariam, non requiritur, quod inducatur cum scientia, & consensu Principis alio, quam *legali*, qui habetur in *c. fin. de consuetudine*. Hunc enim a lege habet, si rationalis sit, & tempore jure requisito continuata, ut constat

ex l. 1. tit. de Con-  
suetud.

